



DE
PROVIDENTIA DIVINA VII
26
ERGA
PROFANOS ANTE NATVM SERVATOREM
COMMENTATIO ALTERA

QVA
DIEM FESTVM
REVIVISCENTIS
IESV CHRISTI
DILIGENTISSIME OBEVNDVM
INDICIT
AT QVE
AD ORATIONEM SACRAM
A. D. XVIII. MENSIS APRILIS AD HOR. XII.
IN ILLVSTRIS AVGYSTEI TEMPLO

HABENDAM

ILLVSTRISSIMOS ILLVSTRESQUE SVMME ET PLVRIMVM VE-
NERABILES PRAENOBILISSIMOS DOCTISS. PATRONOS ET FAVTORES
ATQVE ILLVST. AVG. CIVES GENEROSISS. ET
NOBILISSIMOS

HUMANISSIME INVITAT

JOANNES GEORGIVS VVALTHER
SERENISSIMI DVCIS SAXON. VVEISSENFELSENSIS CONSILIARIVS,
PROFESSOR PVBL. ORD. HISTORIARVM LITTER. HUMANIOR. PHILOS. MORALIS
ET POESEOS, BIBLIOTHECAR. ET RECTOR ADI.
GYMNASII ACADEM.

Dr. Mag. C.
C. Archidiacon
Maria Lely



Prouidentiae cum reliquis DEI operibus est communne, vt inter considerandum crescat, ac profecta ab initio paruis, subinde maxima capiat incrementa, quae magnitudine sua ingenium obruant humanum et fere consumant. Quicquid procedimus meditando, id semper in altitudinem nos inuenit vastiorem: tamquam qui, proximis littori vadis permoti, oceanum pedibus ingredituntur. Siue vniuersam mundi administrationem contempleris, siue in vna eius parte sis occupatus, perinde est: vbiique eadem recurrat infinita ratio. Vel prouidentiae genus, in quo superior proxima coepit versari commentatio nostra, quam singulis temporum punctis, cogitando positis, augetur: ipsa vero rerum infinitas, inde efflorescens, quam et suspensos nos expectatione, et venerabundos maiestate, tenet; quod in primis fieri solet tum, cum iam in bono se collocat lumine, iam, nube obiecta, fugit attentionem nostram. Insignis erat primus prouidentiae erga profanos actus, institutus in Phoenicia, vt rei actae fama ad dissitos etiam perueniret.

Verum nunc maior illustriorque rerum scena aperitur, in qua incomparabilem gestum egit Numen. Continetur haec temporibus inde a Patriarchis mortuis ad exitum Israelitarum ex Aegypro praeterlapsis. Atqui hoc aevo Aegyptus, quae maximi erat imperii tunc temporis, maximaque impietatis theatrum; haec tantis prouidentissimi DEI documentis est nobilitata, vt maiora pluraque uno temporis tractu edita non inueniamus.

Nimirum cultu diuino tandem in animalia et belluas deuoluto, quo dedecus maius et diuinæ et humanae naturae haud conciliari potuisset, summum fastigium consequebatur supersticio, quae, latissime iam in multis regionibus dominans, divinitus modo de sublimi hoc gradu poterat deturbari. Quod etiam eodem, de quo scribimus, tempore in Aegypto confectum tanta cum potentia et sapientia, vt superbissimus rex cum populo feroci humili-

pro-

prostratus, maligni spiritus fracta molimina, ipsaque rei famabreui per vniuersum fere orbem terrarum data legatur. Sed tanta in re adumbranda hoc ero brevior, quo et angustius spatum haec scribendi occasio offert, et maior suo tempore, forsitan in peculiari volumine, erit excurrendi campus. Atque, his praemissis, veniamus in rem praesentem.

Abrahamo diuinitus lecto, vateque gentium constituto, etiam gente eius exemta e reliquarum numero, ac legibus diuinis, in primisque circumcisione ornata; ut germanum religionis diuinae exemplum prostaret: Supersticio in multis regionibus immunita et fracta est.

Quin etiam in Aegypto non admodum videtur inualuisse ante Iosephi, Patriarchae, mortem. Multa sunt, quae me in hanc deducunt sententiam. Abrahamus, instauratorum sacrorum praeco, consumebat peregrinando aetatem, quo tradere aliis diuina mandata possit. Atqui consilium, constat, plurimum ipsi ex animi sententia successisse. In magna gratia erat apud Phoenices, apud Arabes, apud Aegyptios, qui omnes Abrahami DEVUM venerabantur 1). Profani quoque adsunt auctores, qui, apud hanc gentes antiquissimis temporibus vnum cultum esse DEVUM, docent 2). Isaacus, filius Abrahami, et Iacobus, nepos, eius premebant vestigia; magna erant itidem auctoritate apud multas gentes; atque adeo rem diuinam sustinebant in magna fortunae varietate. Accessit, dirigente ita numine, Iosephi ductu posteriorum Abrahami fides et domicilium ad CCXV annos in Aegypto. Hic Iosephi sapientia et pietas aduersus DEVUM, ac rursus numinis in eum singularis benevolentia, inclaruit adeo, ut in fastigium, solio proximum regio, ipsum eueherent, infinitaque ornarent potestate. At vero quid ille? In administranda vnicor-

)(2

saba-

1) Genes. XX. XII. add. in primis Samuel Shuckford in harmon. Vet. Test. cum profanis Scriptoribus Tom. I. p. 205. ed. germanica. De Teraphim optime quoque egit hic auctor p. 230. eod. lib.

2) Hos restes magno numero excitat Cudvorchus in System. intell. p. 362-396. 426. seqq. 331. seqq. vbi tamen simul in consilium adhibuisse Sum. Ven. Mofhemium iuuabit.

XVI.

sabatur republica. Cultum, videtur, aegyptiacum reperisse; excepto mensae communis, non admodum a vero abhorrentem; propterea quod religionem in Aegypto neque ab sacro neque a profano scriptore dicitur repurgasse; contra duxisse in matrimonium sacerdotis aegyptii filiam; quin sacerdotes ipsos receperisse in fidem et clientelam. At pastores, inquis, erant Aegyptiis detestabiles 3). Plurimi ex hac dicendi forma summam aegyptiorum superstitionem colligunt: etiam Shuckford, qui mecum eandem Aegyptiis rationem sacrorum asserit, necessitate inductus, existimat, haec verba ab imperito contexui sacro assuta esse 4). Verum qui memoria hoc teneo, idem quoque scio, verisimilius originem huius dictionis repeti posse a peregrinis pastoribus vel Arabibus vel aliis vicinis, qui, teste Manethone, 5) per longum temporis spatium graui presserunt Aegyptios seruitute. Omnium optime, quod sciam, hoc comprobauit dedita opera non multis abhinc annis Vir et genere et doctrina excellentissimus Renatus Iosephus Tournemine 6).

Mortuo Iosepho, alia et peregrina regum dynastia principatum tenuit, quibus beneficia Iosephi, in Aegyptios collata, vel ignota erant, vel inuisa. Proinde vno temporis intervallo Idolatria, omnium maxime horroris plena, bestiis tribuendo honores diuinos initium cepit; et suppressio atrocissima Hebraeorum. Hoc ex sacris oraculis patet 7): illud vero ex temporum descriptione, quod Iosephi aetate nulla eius Idolatriae indicia occurserunt; quae tamen Mosis temporibus sunt in aprico collocata. Variie de originibus huius fere incredibilis cultus quaesiverunt eruditii. Ex Diodoro siculo constat 8), primum in Aegypto placatum precibus bouem Apin lunae, Mneuin soli sacrum, quod Osiridis defuncti animam, putarent, in bouem commigrasse. Etiam apud Plutarchum 9)

exi-

3) Genes. XI, VI, 34. 4) Sam. Shuckford in harmon. prof. et sacror. script. T. I. p. 225.
 5) apud Flavium Iosephum Lib. I. contra Apionem § 14 - 16. p. 444. et § 26 - 33. T. II. ed. Hauerkampi. 6) vid. Io. Stephani Menochii Opera, quae Parisiis A. 1719. edita sunt Tomi. II. p. 443. cui variae sunt Ren. Iosephi Tournemine dissertationes insertae. 7) Exod. I. 8) Diodorus Siculus L. I. p. 54. Rhodom. edit. 9) Plutarchus de Iside et Osiride p. 364.

existimant Aegyptii, Apin pulchram animae, quae in Osiride fuisse, imaginem. Fuit autem Osiris hic quondam in Aegypto rex, et post mortem in Diis primariis numeratus 10) : porro Mercurii aegyptii aequalis, et Mose omnino anterior, quod adcurate comprobat non mediocris vir ingenii Iacob. Bruckerus 11). Sunt, qui domuisse bouem serum dicunt : cuius adspectu, cum dicto parentem cernerent bestiam, rudes homines obstupuissent ; vti recentiori aetate Americani, Hispanos equo vectos, Deos putassent. Accedit antiquissima de Metempsychosi opinio, quae de Indorum sententia apud Philostratum 12) fuit symbolica, et modo significauit Φύσιν καὶ τὸ εἶδος τῆς ψυχῆς, vt qui Osiris vel Euphorbus fuisse dictus sit, intelligatur, ingenio eum retulisse. Veterum sententias de hoc portentoso cultu eleganter colligere incepit Abbas Banierius, 13) qui tamen minus recte superstitionis huius initium arcessit a Mezraimī temporibus 14). Telam a Baniero coeptam pertexuit Blanchardus omniaque recensuit animalia quondam ab Aegyptiis culta 15). Io. Marsham̄ quaerit originem in hieroglyphica scribendi ratione 16). Vir summe Venerabilis Io. Laurentius Moshemius, quo nemo melius nostra aetate rem omnem dijudicauit, putat, animalium cultum introductum, vt salutarium animalium numerus una cum incolarum numero cresceret ; deinde cum belluarum aliquae noxis animalibus perpetuum quasi bellum inferrent, vt ichneumon crocodilis, ciconia serpentibus, aequum fuisse existimatum, vt horum saluti quoque prospiceretur, a caedeque eorum, poenis sancitis, arcerentur homines 17). Sed forsitan, quod existimauerim, non male apud Plutarchum 18) ipsi veteres senserunt, qui ad regum aegyptiorum vel crudelitatem vel calliditatem totum negotium referunt. Hos reges, ferunt, operam dedisse, cum viderent e confer-

)(3

cor-

10) vid. Moshemius ad Cudvorth. p. 246. seqq. 11) Bruckeri historia critica philosophiae Tom. I. p. 270. seq. 12) Philostratus in vita Apollonii Lib. III. C. 16. p. 108. ed. Olearii. 13) inserta est diss. Banieri Op. gall. quod inscribitur Memoires de litterature de l'Academie royale des Inscriptions Tom. IV. p. 116 - 135. non vero Tom. VI. l'histoire de litterature, vt est in Cudvorth. 14) c. I. p. 132. seq. 15) Memoires de litterature Tom. XIII. p. 31 - 55. 16) Marshami Canon chron. p. 38. ed. Lips. 17) Moshemius ad Cudvorth. p. 421. 18) de Iside et Osiride. p. 380.

XVIII.

cordia ciuium facile maximas nasci seditiones et turbas, vt singulae vel regiones vel vrbes peculiares colerent animalia, reliqua trucidarent; quo hac caerimoniarum sacrarum summa diuersitate perpetua spargerentur semina dissensionum. Neque res a vero abhorret. Cum enim feracissima et rerum et hominum esset Aegyptus propter incredibilem agri bonitatem: quiduis reges tentarunt ad populos diuersos in obsequio continendos. Iam ad vrbes condendas, iam ad ingentes Pyramides exstruendas, iam ad infinitos ductus aquarum deriuacionesque conficiendas animum appellebant, vt desidi populo, rebus alias nouis studenti, negotium facesserent. Etiam huc pertinet mandatum trucidandorum infantum, ad minuendam Hebraeorum multitudinem comparatum. Parum abest, quin existimem, eodem tempore tractu, quo ad plebem supprimendam reliquae artes sunt a regibus excogitatae, quod factum consensu fere omnium aeuo inter Iosephum et Mosem interposito, etiam nefandam bestiarum idolatriam, pari de causa, introductam esse. Sed vtcunque sit, aderat haec Molis aetate 19), et nisi diuina intercessisset prouidentia, omnem germanum diuinitatis sensum in animis hominum deletura fuisset.

Erat enim tunc temporis summa aegyptiorum potentia. Multas circa regiones tenebant sub sua potestate. Habant potentissimos reges. Sed operaे pretium est, paullo altius rem repetere. Nimirum mature bonaе artes in Aegyptum immigrauerant, vt Geometria, vt Astronomia, vt scribendi scientia 20). Affluens erat praeterea haec regio omnibus ad vitam tolerandam necessariis rebus:

terra suis contenta bonis non indiga mercis,
aut Iouis; in solo tanta est fiducia Nilo.

Proinde primi mortales, de turri et vrbe in Sinear condenda altercati, cum alii alio abirent, Misraim, minimum eius gens, se in Aegyptum contulit, quam ob agri bonitatem secutae sunt aliae, breui temporis spatio interiecto aliquot regna fundantes 21). Haec Iosephi aetate, vel breui post, videntur in vnum coaliisse corpus. Nam hic Patriarcha pastoribus, acerbissimis Aegypti dominis, vel electis vel sua sponte pro-

fe-

19) Exod. VIII. 20) Plato in Phaedone p. 1240. 21) Io. Marsham in Canone chron. p. 24. seqq.

fectis in Asiam, acceſſerat ad imperium, cuius sapientia in magna calamitate et retinuit Aegyptum, et auxit diuitiis, et regi propriam, emitis agris hominibusque, fecit, atque adeo iecit quali fundamenta magni alicuius imperii. Sunt, qui ex his pastoribus Israelitas faciunt, ut Iosephus 22), teste, ut putat, Manethone, sed falso 23), pastores enim hic ad trecentos fere annos Hebraeis, ex Aegypto ex euntibus, facit anteriores. In eandem sententiam discedit Iacob. Perizonius 24), Camp. Vitrina 25), Io. Franc. Buddeus 26), et alii 27). Sed omnia militant contra hanc sententiam. Primo temporum ratio. Pastores ad XI annos fuerunt in Aegypto: Israelitae ad CCXV. Tum numerus. Israelitae in Aegyptum se conferentes fuerunt LXXV: pastores plus cccccc. Porro sedes. Hebrei degerunt in terra Gosen priuati et quieti: pastores vniuersae imperarunt summa crudelitate Aegypto. Rurſus fortuna. Optima vtebantur et florentissima pastores per quinque saecula: Israelitae miseranda Iosepho mortuo. Denique ipſe exitus. Hic pastoribus fuit quietus, nemine Aegyptiorum eos persequente: Hebraeis admodum turbulentus. Paucae sunt res in facto posita, quod sciam, in vniuersa historia, quondam confusae, quae tam dissimiles habeant, atque in singulis, quas Quintilianus usurpauit, circumstantiis, rationes tam vehementer pugnantes. Ex parte idem viderunt auctores anglicani historiae vniuersalis 28), Alphonsus des Vignoles 29), Ren. Iosephus Tournemine 30), et quem primo loco nominare debuisssem Sieg. Iacob. Baumgarten, Academiae halensis magnum ornamentum 31). Post abitum igitur horum pastorum, composita Iosephi studio Aegypto, vixerunt celeberrimi quidam reges, in primisque Sesostris, qui iam ante Mosis aetatem plurima Africæ, Asiae et non mediocri Europæ parte potitus est. Dedita opera hoc proxima sequente annitar comprobare commentarye 32). Hic Se-

ſo-

22) Ioseph. c. l. 23) Vignoles claronol. sainte T. I. p. 598. 24) Iacob. Perizonius in Originibus aegyptiaris p. 394. seqq. et 429. edit. Dukeri. 25) Camp. Vitrinae Comment. in Esaiam in protheoria ad Cap. 19. § 32. p. 549. 26) Io. Franc. Buddei histor. eccl. Per. I. p. 449. seqq. 27) vid. Io. Dan. Koeleri Comm. de Manethonis pastoribus 1730. 28) historia vniuers. anglican. Tom. I. p. 513. 29) Vignoles c. l. 30) Tournemine c. l. 31) Baumgarten in comm. de Abrahami posteris in Aegypto regnantibus. 32) metetur interea legi Tournemine c. l. p. 441 - 444. qui adcurate Perizonium contutauit.

Sofstris ex omnibus regionibus a se deuictis, magnum obsidum et captiuorum numerum in Aegyptum deportauit 33), ditigente ita haud dubie numine, vt hi et aduersae et secundae Israelitarum fortunae restes essent; vt Mose, miracula maxima edente, hi adessent principes vniuersae fere Asiae et Africæ; vt venerabundi hi diuinam potentiam, omnibus praestigiis infinite maiorem, contemplarentur; et tandem, vt sublato ipso rege, et toto Aegyptiorum exercitu in Sinu Arabico extincto, horum quisque ingentem famam rerum gestarum veraeque religionis ad suos afferret populares. Vehementer haec omnia illustrant prouidentiam diuinam. Verum haec, quae adeo coarctauit de Sofstris in:perio, proxima occasione dilatabo.

Quemadmodum vero Iudaei ad memoriam exitus ex Aegypto instaurandam quotannis sollempni ratione Paschia suum celebrant: sic nos, qui Christo nomen dedimus, eundem festum diem redeunti in vitam IESV sacram facimus, cuius illa res fuit insignis imago. Cum vero huius diei officium inter alia positum sit in habenda oratione sacra; oratoris partes demandauimus cui huius Gymnasii academici Nobilissimo et perquam industrio Christophoro Traugott Staendero, Cronschvizensi, qui crastino die *de actis Pontii Pilati, testibus reuiuiscentiis Iesu*, dicturus est, nixus testimonii Iustini martyris, Tertulliani atque Eusebii. Ad hanc orationem, in re graui versaturam, Illustrissimos, Summe et Plurimum venerabiles, Praenobilissimosque Patronos et Fautores, atque Augustei nostri ciues Generosiss. et Nobilissimos omni obseruantia inuitamus. DEVS vero immortalis, qui publicas adeo calamitates Israelitarum sapientiae et maiestatis pleno terminauit exitu, etiam horum emporum perturbationes componat, vt Paschalia haec epocham redeuntis pristinae felicitatis figere possint. P. P. VVeissenfelsae ad Salam a. d. XVII. Aprilis Anno Aerae vulgaris c. 1000 XXXV.

33) Diodorus Siculus Lib. II.

V V E I S S E N F E L S A E
L I T T E R I S R I C H T E R I A N I S,

DA A 6627



56.

DA 17 VD 18



Farbkarte #13



DE
DENTIA DIVINA
ERGA
NTE NATVM SERVATOREM
COMMENTATIO ALTERA

26

QVA
EM FESTVM
VISCENTIS
V CHRISTI
NTISSIME OBEVNDVM
INDICIT
AT QVE
TIONEM SACRAM
L. MENSIS APRILIS AD HOR. XII.
RIS AVGYSTEI TEMPO

HABENDAM
STRESQUE SVMME ET PLVRIMVM VE-
SIMOS DOCTISS. PATRONOS ET FAVTORES
VST. AVG. CIVES GENEROSISS. ET
NOBILLISSIMOS

MANISSIME INVITAT

GEORGIVS VVALTHER
SAXON. VVEISSENFELSENSIS CONSILIARIVS,
TORIARVM LITTER. HUMANIOR. PHILOS. MORALIS
BIBLIOTHECAR. ET RECTOR ADI.
GYMNASII ACADEM.

ff. Red
Lip. Antidida
Manus. Lulu